



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio XX. An Confessio, ut sit Sacramentalis & valida debeat esse
Secreta?

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

dicij quoad substantialia, non autem quoad modum: iudicium enim Sacramentale est institutum cum speciali modo, siquidem in ipso idem est Reus, & Accusator, fitq; sine testibus, & statur voluntariae confessioni ipsius Rei, propterea habet etiam specialem determinationem in proferenda sententia, ut nimirum proferatur verbaliter ab ipso Iudice.

QUAESTIO XX.

An Confessio ut sit Sacramentalis & valida debeat esse secreta?

Vicar. **S**uppono non esse inventum humanum secretò, & ad aures ipsius Sacerdotis peccata explicare Pœnitentem.

S. Anathematizat Sac. Concil. Trid. Sess. 14. c. 5. & Can. 6. dicentes modum secretò confitendi soli Sacerdoti alienam esse ab institutione & mandato CHRISTI, esseq; inventum humanum: quare hanc conditionem ex ipso

fius CHRISTI Domini institutione procedere eleganter docet & probat *Summa Disp. 15. de Penitent. artic. 9.* & loco citato Concil. exprimit Ecclesiam semper observasse, & observare modum illum secreté confitendi, unde non recté asseritur modum hunc confitendi regularem, atq; ordinarium haberi ex sola Ecclesiae traditione.

U. Cur interponis *ly regularem atq; ordinarium?*

S. Ideò, quia non est de essentia, & necessitate simpliciter, ideoq; in aliquo necessitatis casu valida & Sacramentalis esset confessio publica quoad substantiam, si cætera requisita adessent, quamvis non esset Sacramentalis quoad modum, quo est à CHRISTO instituta. Scotus in 4. Dist. 17. Q. un.

U. Ergo dices non esse vetitam publicam peccatorum confessionem?

S. Ità dico, & peto ut legantur, & observentur verba Trident. loco cit.

U. Videtur mihi hìc excludendum esse
omne

omne id, quod facit Sacramentum Pœnitent. reddi odiosum, tale quid autem faceret confessio publica.

S. Faceret utiq; si esset Divino præcepto mandata, essetque indiscriminatim modus ordinarius confitendi secretè vel publicè, non habet autem locum mandatum, nec modus iste, ergo &c.

V. Non considerando præceptum Divinum, sed spectatâ lege naturæ, verum est, quòd secreta confessio sit *juxta*, publica verò *contra* illam, adeoq; non potest dici valida & Sacramentalis.

S. Concedo quòd confessio secreta sit *juxta*, publica verò *contra* legem permissivam, quæ tamen mutari potest juxta mutationem circumstantiarum, ut patet de divisione bonorum introducta Jure gentium, contra legem naturæ, quæ permittebat omnia esse communia: possunt autem advenire circumstantiæ in aliquibus casibus, in quibus posset quispiam validè confiteri publicè, & Sacramentaliter. Vel di-

co ad confitendum publicè in aliquo casu posse urgere præceptum naturale altioris ordinis, quàm sit illud de confitendo secretè, ut si Pœnitens hæret anxius an contritionem elicuerit? tunc enim ex vi præcepti naturalis altioris ordinis teneretur sibi salutem procurare confitendo publicè, supposito quòd secretè delicta sua manifestare non valeat.

U. Adverto, quòd non recogites infamiam, & fortè etiam in bonis temporalibus jacturam, quæ ex tali confessione oriri possset.

S. Quid prodest homini, si universum mundum lucretur cum detrimento animæ suæ? ast dum dico Pœnitentem in aliquo casu ex præcepto naturali altioris ordinis obligari ad confitendum etiam publicè, non ignoro hanc publicitatem salvari posse absq; omni omninò infamia, si enim auricularis seu secreta confessio non sit possibilis, nec Pœnitens, constitutus v. g. in periculo,

lo, aut etiam articulo mortis, sit moraliter certus de vera contritione, poterit disponi ad confitendum aliqua venialia, & in genere ad accusandum se de omnibus, in quibus DEUM quocunq; modo offendit, & hic modus confitendi erit sufficiens pro conficiendo Sacramento, quia exhibebit materiam sufficientem cum ceteris requisitis, nec pariet infamiam apud audientes, quia hoc ipsum conciperent, si Pœnitens coram ipsis confiteretur Sacerdoti secretè. Quod si Pœnitens in confessione per accidens, sive ex necessitate publica, voluerit manifestare etiam aliquod, vel aliqua ex delictis mortalibus, poterit solùm explicare illa, quæ generant minorem infamiam, neq; tunc anxie pensanda est integritatis carentia, sicut enim non adest præceptum de publicè confitendo, similiter nec adest de publica integritate confessionis, neq; in consequentiam venire debet præceptum de

M 2.

in-

integritate, quando variatur modus confessionis à CHRISTO instituta. vid. *Suarez Disp. 36. de Penit. Sect. 6. n. 5. Layman. lib. 5. Theolog. Moral. Tract. 6. c. 6. n. 9. Becan. de Sacram. c. 27. de Penit. Q. 5.*

U. Si sic, absque dubio etiam omnes præsentés & audientes tenebuntur observare secretum?

S. Sic sentio: quàmvis non ignorem doctrinam quorundam Theologorum docentium in confessione *per se publica*, quando videlicet Pœnitens sponte, & non ex aliqua urgente necessitate confitetur publicè in sui humiliationem, Ecclesiæ circumstantium ædificationem, non teneri auscultantes, neq; Confessarium excipientem peccata sigillo, eò quòd talis manifestatio præcisè sub formalitate istius intentionis, egrediatur terminos Confessionis Sacramentalis.

U. Dixeras suprâ, quòd in aliquo casu confessio facta publicè esset Sacramen-

mentalis quoad substantiam, non vero quoad modum, cum tamen te non lateat, quod modus sequatur necessario substantiam rei, adeoque si aliquando confessio publica est Sacramentalis quoad substantiam, erit etiam talis quoad modum.

S. Hoc utique verum esse judico de modo intrinseco vel physico, non autem extrinseco seu morali, qualis est in presenti.

V. Si modus confitendi secretè non est de essentia & necessitate simpliciter, ergo poterit etiam quispiam confiteri per epistolam, vel nuncium urgente necessitate: ponamus casum, quod Pœnitens sit constitutus in periculo mortis, nec habere possit Confessarium presentem, ut si esset in loco, ubi unicus tantum esset Sacerdos, qui etiam ipse infirmus decumberet.

S. Bene impressum habeo Decretum Clementis VIII. qui An. 1602. die 20. Junij in Gener. Congreg. S. Rom. In-

M;

qui-

quisit. damnavit opinionem sustinentem confessionem per nuncium, aut epistolam licitam esse, tanquam falsam, temerariam, & scandalosam, nec ad praxim quovis modo deducibilem. *V.* Dicet fortè quispiam Pontificem solum damnasse praxim, non verò quòd in suo Decreto statuerit aliquid contra validitatem Sacramenti.

S. Scio quòd Joan. Præpositus 3. parte, in Suppl. Q. 4. de Qualit. Confess. dub. 3. n. 34. asserat confessionem factam absenti esse quidem illicitam, non tamen Sacramentum futurum invalidum, addens ita defensum fuisse Lovanij A. 1607. die 22. Augusti; ego autem in præsentia materia amplector, doctrinam Solis Theologorum M.S.P. Augustini, aliorumq; gravissimorum D. D. & dico Sacramentum Pœnitentiæ ex sua institutione requirere, ut Pœnitens præsens sit coram Confessario, nec alio modo posse esse validum, adeoq; in nullo unquam casu, neq; etiam
in

in articulo mortis posse confessionem fieri absenti.

U. Unde desumis auctoritatem D. Augustini?

S. Ex cap. 10. de vera & falsa Pœnit. ubi lego sequentia: *quem ergo Penitet, omnino peniteat, & dolorem lachrymis ostendat, representet vitam suam DEO per Sacerdotem, prœveniat, iudicium DEI per confessionem: precipit enim Dominus mundatis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens, corporali præsentiâ confitenda peccata, non per nuncium, non per scripturam manifestanda.* Et quia Pontifex declarat opinionem admittentem confessionem factam absenti tantquam falsam, hoc ipso ostendit ejusmodi confessionem non esse verè Sacramentalem, & consequenter cum illa Sacramentum esse invalidum: *prætereà ut Sacramentum sit validum, debet exhiberi illa materia pro Sacramento, quæ est à CHRISTO instituta, est autem instituta confessio præsenti-*

tialis, id est, ut Pœnitens præsentialiter confiteatur coram Sacerdote, si quidem juxta verba Trident. Sess. 14. c. 2. de Pœnit. CHRISTUS voluit Pœnitentes velut Reos sisti ante Tribunal Pœnitentiale (advertatur *ly sisti*, quod idem significat, ac præsentialiter comparere) ergo si aliter confiteatur Pœnitens, Sacramentum non erit validum. Deniq; modus secretè confitendi soli Sacerdoti (ut patuit) est institutus à CHRISTO, ergo fuit à CHRISTO instituta præsentialis confessio, cum modus confitendi secretè soli Sacerdoti, quem semper servavit praxis Ecclesie, consistat in præsentiali confessione, hinc alibi citatum Florent. requirit pro materia hujus Sacramenti confessionem oris, quia facienda est ore ad os, seu præsentialiter.

U. Etiam si confessio secreta sit instituta à CHRISTO pro materia Pœnitentiae, nihilominus potest adhiberi etiam publica juxta declarationem Trident.

dent. similiter ergo licet instituta sit confessio praesentialis, poterit nihilominus adhiberi confessio per litteras, aut nuncium.

S. Non placet haec paritas, quia confessio secreta & publica non differunt in ratione confessionis substantialiter, sed solum accidentaliter, totum enim habet confessio publica, quod secreta, neque aliud supra ipsam addit, quam extensionem quandam, quatenus deducitur in aliorum cognitionem, hoc autem confessionem intrinsecè non variat, sicuti esse cognitum, non variat intrinsecè objectum, est confessio praesentialis, & per litteras seu nuncium differunt in conditionibus intrinsecis confessionis, adeoque substantialiter, siquidem praesentialis est confessio judicialis & certa, non sic facta per litteras aut nuncium, ac proinde, tanquam substantialiter diversa à praesentiali, adhiberi non potest.

U. Cur asseris confessionem factam

M s

per

per litteras non esse judicialem & certam?

S. Ideò quia existimo iudicium debere incipere à præsentatione Rei, & quia in hoc iudicio statur soli confessioni voluntariæ Pœnitentis, nec contra ipsum adhibentur testes, sed illic creditur tam pro se, quàm contra se, idcirco concludo in hoc iudicio Sacramentali non posse aliam confessionem poni pro materia, quàm præsentialem: incertitudo autem confessionis per litteras, aut nuncium ex eo deducitur, quia nuncius fallere potest, & litteræ possunt esse supposititiæ: accedit quòd ex tali confessione sequerentur multa damna, sacrilegia, scandala, & confessionum revelatio, ut notat Joan. à Cruce, part. 2. Directorij consci. Q. 3. de Sacram. Pœnit. dub. 7. ac proinde credibile non est CHRISTUM instituisse confessionem in materia tot periculis exposita: & licet cap. *Qualis* 30. Q. 5. habeatur, quòd confessio adulteræ
facta

facta per scriptum admittatur, intelligendum tamen est de confessione facta per scriptum Confessori præsenti. Quare noto cum quibusdam ex recentioribus Theologis Sedem Apostolicam voluisse, ut deleteretur utraq; propositio videlicet: & quòd liceret absenti confiteri per epistolam, vel internuncium, & quòd absenti possit absolutio impendi.

U. Ponamus ergo casum, quòd Confessarius acciperet litteras à Pœnitente ægro delicta sua scriptotenùs manifestante, & Sacramentalem absolutionem petente.

S. Si hoc per errorem contingeret, obligabitur Confessarius ægrum accedere, eumq; si capax est ad dolorosam suorum delictorum cõfessionem hortari, monere de errore commisso, ac deinceps juxta dispositionem Sacramentaliter absolvere. Adverto etiam hìc, quòd in casu, quo Pœnitens detestando sua delicta absolutionem petij-

M 6

tjst

tijisset, signaq; doloris coram adstantibus exhibuisset, si postea sensibus detitueretur, ita ut nullum signum coram Sacerdote adveniente ostendere possit, absolvi nihilominus possit, ut habetur in Ritual. Rom. jussu Pauli V. edito, & diversorum Pontificum Decretis.

U. De hoc tecum alibi: quid autem sentis de obligatione confitendi per interpretem?

S. Sentio quod haec obligatio neq; oriatur ex praeccepto Divino, neq; Ecclesiastico.

U. Unde id colligis?

S. Ex saepe citato Trid. juxta quod ad publicam confessionem non obligatur quis nec praeccepto Divino nec humano, atqui confessio facta per interpretem est aliquo modo publica, ergo nec praeccepto Divino, nec Ecclesiastico, est ad illam obligatio.

U. Existimo confessionem talem esse secretam, nam interpretis videtur facere

re

re unam personam moraliter, vel cum Sacerdote, vel cum Pœnitente.

S. Minimè, cum Sacerdote enim non esset una persona moraliter, siquidem supponitur carere & potestate Ordinis, & Jurisdictionis, sed neque cum Pœnitente, quia estò quòd suppleret vices Pœnitentis, declarando accusationem per cognitionem naturalem, ab ipso Pœnitente acceptam, esset nihilominus persona extranea, & impertinens ad Tribunal Sacramentale, & hoc ex institutione CHRISTI, secundùm quam ad Tribunal Sacramentale pertinent solùm Pœnitens ut habens conscientiam peccati, & se accusans, & Sacerdos ut gerens vices CHRISTI Trid. Sess. 14. c. 4. de Pœnit.

U. Saltèm asseres in casu periculi, vel articuli mortis Pœnitentem obligari per interpretem confiteri, si dubitet de perfectione suæ contritionis?

S. Assero tanquam probabile, non tamen ex vi præcepti confessionis, sed

cx

ex præcepto charitatis, in tali enim casu tenetur quilibet adhibere certam media salutis, ac proinde uti Sacramento Pœnit. confitendo etiam per interpretem, si prudenter dubitet de contritione perfecta.

U. Desidero scire, cur apposueris *ly tanquam probabile?*

S. Ideò, quia neq; hoc videtur omninò certum, siquidem talis posset quodammodò æquiparari muto, & sic in proposito casu per nutus & signa confiteri peccata sua: nam sicut paria sunt non posse loqui, & ità solùm posse loqui, ut loquens non intelligatur ab audiente, ità quoq; paria sunt, non posse confiteri, & solùm ità posse confiteri, ut non intelligatur confessio à Confessario:

U. Ergo cùm Pœnitens in casu, quo aliter Confessario non posset declarare sua delicta, nisi per interpretem, se habeat ad instar impotentis loqui, liber erit ad confitendum per nutus, &
sa-

satisfaciet per huiusmodi confessionem obligationi generali de procuranda propria salute.

S. Ità docent plurimi Theologi, quam doctrinam probant ratione sequenti, quia obligatio procurandi propriam salutem petit solùm, ut suscipiatur Sacramentum cum effectu, potest autem suscipi cum sola confessione per signa, & nutus, ergo Pœnitens ille in tali casu liber erit ad confitendum per nutus, & per hoc sufficienter providebit propriæ salutis.

V. Si tamen eligeret confiteri per interpretem, sufficietnè tunc manifestare interpreti aliquod, vel aliqua solùm peccata minùs diffamativa, vel etiam solas cogitationes peccaminosas?

S. Sufficiet.

QUÆSTIO XXI.

An Confessio Sacramentalis debeat esse pura & fidelis?

Vicar. **E**Xpone conditiones confessionis.